

doctrinæ illorum subicere. Et quia libellum de scri-  
nio bonæ memoriæ fratris vestri Lotharii sine no-  
mine auctoris suscepimus, in quo singillatim per  
loca singula capitula a nobis excerpta sunt posita, et  
assensu illius, quisunque ille fuerit, reprehensa sunt  
et damnata, cum de catholicorum Patrum dictis  
nostra capitula si poterimus confirmare curabimus,  
ipsius etiam reprehensiones ponemus, et eas, quan-  
tum Dominus dederit, confutare studebimus. Tunc  
demum ponemus de capitulo confratrum nostrorum

A quinto, unde notam nobis quasi tacite et e latere  
impegerunt, quod in Gothescalci scriptis invenimus  
postquam capitula quatuor sæpe memorata excer-  
psimus, et quid inde sentiamus, Domino inspirante,  
dicemus. Et sic tandem subjiciemus illa decem et  
sex capitula pro quibus de Scotorum pulibus con-  
fratres nostri, sine culpa nostra, in hac duntaxat  
causa nos pascere decreverunt, et quid de eisdem  
capitulis sentiamus, ex catholicorum Patrum sensi-  
bus ostendemus.

# HINCMARI

ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS

## PRÆFATIO SUBSEQUENTIS OPERIS

Omnes in quorum manus hoc laboris nostri opu-  
sculum venerit, supplici devotione per charitatis  
viscera postulamus ut quoniam de ipsis schedulis  
notariorum ante emendationem, instante domino  
nostro rege Carolo, sub celeritate illud transcribi  
fecimus, et idcirco in locis plurimis eradi et emen-  
dari quædam necessitas compulit, si nacta occasione  
aliquis æmulus recta hinc eraserit, et forte prava  
superinduxerit, aut scriptorum imperitia secus tran-  
scripserit, alienum nobis errorem non imputent.  
Sed collecta hic a nobis testimonia catholicorum  
inspicientes, quorum doctrinam sensu, ore et manu,  
quantum dat Dominus, sequimur, aut superseminata  
ab inimico zizania in medio tritici evellant et col-  
ligant, aut si tantum adhibere dignati fuerint stu-  
dium, per quemcunque illis placuerit paucis litte-  
rulis hæc innotescendo, de Ecclesiæ Rhemensis  
archivo unde dubitaverint, relevare procurent. Et  
cujus dignationi hæc quæ sequuntur transcribere  
complacuerit, hanc etiam postulationem conscribi  
quæsumus faciat. Quæ ideo dicimus et precamur  
quoniam et olim Nestorium Constantinopolitanum,  
et Macarium Antiochenum episcopum, de scripturis  
authenticis ac sanctorum dictis quædam interrasisse  
atque corrupisse prodentibus gestis comperimus. Et  
sicut ipsorum qui interfuerunt concilio relatione  
didicimus, quando divæ memoriæ domnus Carolus  
Felicem, infelicem Orgellitanæ civitatis episcopum,  
synodali decreto hæreticum comprobatum atque  
damnatum comperit, etiam revictum invenit quia,  
corrupto muneribus juniore Bibliothecario Aquen-  
sis palatii, librum beati Hilarii rasisit, et ubi scrip-  
tum erat quia in Dei Filio *carnis humilitas adoratur,*  
*immisit carnis humilitas adoptatur.* Sed et sicut  
mox lector inveniet, sermonem Flori de prædesti-  
natione nuperius editum non incerto indicio credi-  
mus depravatum.

In capite indiculorum sequentis operis sermonem  
Flori, quem mutuante Heriboldo, quondam Antis-  
iodorensium venerabili episcopo, in synodali con-

B ventu apud Bonoilum transcripsimus, et post re-  
versionem de tumultu Brionensi, quodam offerente  
clerico, ex scrinio Ebonis, sicut ipse dixerat, vene-  
rabilis Gratianopolitani episcopi accepimus, inte-  
grum hic ponere dignum duximus, quia et con-  
structione et sensus veritate caute incedit, exceptis  
duobus locis, in quibus eum ita dixisse non credi-  
mus sicut in eo scripto invenimus quem de scrinio  
venerabilis Ebonis accepimus, cum in aliis sic ca-  
tholice dixerit, sicut patebit legentibus : maxime  
quia in eodem scripto, quem per manus præfati He-  
riboldi, sicut ad se a prædicto Floro transmissum  
accepimus, aliter invenerimus quam in isto quem  
postea accepimus, reperiamus. Quæ de re immuta-  
tum ab aliquo suspicamur. Quæ loca, antequam ser-  
monem illum scribere adoriatur, specialiter desi-  
gnare curabimus. Ubi enim dicit : « Sed quos præ-  
scivit et prævidit malos atque impios futuros proprio  
vicio, ipse eos prædestinavit ad æternam damna-  
tionem justo judicio; » in illa rotula scriptum habe-  
tur quam de Heriboldo accepimus : « Sed quia eos  
præscivit et prævidit malos atque impios futuros  
proprio vitio, prædestinavit ad æternam damna-  
tionem, qua ipsi punirentur justo judicio. » Et in  
eo loco ubi scriptum est : « Non enim ille aliquem  
prædestinavit ut malus esset, sed vere omnem ma-  
lum prædestinavit ut impunitus non esset; » inve-  
nimus in rotula quam a prædicto Heriboldo acce-  
pimus : « Sed vere prædestinavit pœnam, ut omnis  
malus impunitus non esset. » Quod in sequentibus  
ipse demonstrat dicens : « Pœnam eorum et præ-  
scisse, quia Deus est, et prædestinasse, quia justus  
est. » Cætera catholici lectoris judicio derelinqui-  
mus. Sed idcirco hunc sermonem ex integro po-  
nere necessarium duximus, quia ex eo confictor in  
proximo subsequentium capitulorum duo capitula  
de præscientia et prædestinatione, confuso et præ-  
postero ordine, ac sensu falsissimo, in secundo ca-  
pitulo studuit compilare, sicut qui hunc et illa lege-  
rit aperte intelliget.

*Sermo Elori de Prædestinatione, sicut est de Ebonis A  
scrinio sumptus.*

Omnipotens Deus, quia verissime verus et solus Deus est, omnino in sua æterna et incommutabili scientia præscivit omnia antequam fierent, sicut Scriptura testatur, dicens: *Deus æterne, qui es absconditorum cognitor, qui nosti omnia antequam fiant (Dan. xiii, 42)*. Præscivit ergo sine dubio et bona quæ boni erant facturi, et mala quæ mali erant gesturi: sed in bonis ipse fecit sua gratia ut boni essent, in malis, vero non ipse fecit ut essent mali, quod absit, sed tantum præscivit eos proprio vitio tales futuros. Neque enim præscientia Dei imposuit eis necessitatem ut aliud esse non possent, sed tantum quod illi futuri erant ex propria voluntate, ille ut Deus prævidit ex sua omnipotenti majestate. Unde Scriptura incontaminabilem justitiam ejus nobis insinuans, ait de illo: *Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi*. Quod ergo impie agunt impii et iniqui, et spatium temporis vitæ hujus, quod eis Deus dedit ad bene agendum, ipsi e contrario convertunt ad malum exercendum, non Dei sed ipsorum est culpa, et ideo recte damnantur ipsius justitia. Præscivit autem idem omnipotens Deus etiam æternam illorum damnationem, sed ex merito ipsorum, quos in propria malitia perseveraturos prævidit, non ex sua, quod absit, iniquitate, qui nihil injuste constituit, et qui reddet unicuique secundum opera sua, id est et bene agentibus bona æterna, et male agentibus mala perpetua. Ergo bonos præscivit omnino, et per gratiam suam bonos futuros, et per eandem gratiam æterna præmia accepturos, id est, et in præsentis sæculo bene victuros, et in futuro feliciter remunerandos, utrumque tamen ex dono misericordiæ Dei. Unde Apostolus *vasa misericordiæ ejus appellat, dicens: Ut ostenderet divitiarum gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam (Rom. ix, 23)*. E contrario autem, malos et præscivit per propriam malitiam malos futuros, et præscivit per suam justitiam æterna ultione damnandos. Sicut præsciebat de Juda proditore, *quod eum esset traditurus*, sicut Evangelium dicit, *cum esset unus ex duodecim (Joan. vi, 72)*; præsciebat etiam æterna ejus damnationem cum diceret: *Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille (Marc. xiv, 21)*. Sic et de impiis Judæis præsciebat sine dubio eorum impietatem futuram, de qua prædixit in psalmo: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto (Psal. lxxviii, 22)*; præsciebat et subsequentem ipsorum damnationem, de qua in eodem psalmo subjunxit: *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur (ibid., 29)*. Sed in istis et in omnibus iniquis illud prius ex propria est pravitate, istud sequens ex divina æquitate. Hoc modo et de prædestinatione Dei omnino sentiendum est, quia in bonis prædestinavit et ipsam eorum bonitatem futuram ex dono gratiæ suæ, et pro eadem bonitate æternam ipsorum remunerationem, ut ipsius dono fierent boni, ipsius dono essent remunerati. Unde ait Apostolus: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum (Ephes. i, 5)*; et alio loco: *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui (Rom. viii, 29)*. Prædestinavit itaque electos suos, ut et nunc assumerentur in adoptionem filiorum Dei per gratiam baptismi, et in futuro efficiantur, conformes imaginis Filii Dei, per eandem Dei gratiam secundum imaginem ejus renovati et glorificati. Prædestinavit omnino ut et hic essent boni, non ex se, sed ex illo, et illic beati, non per se, sed per illum. In utroque ergo bona sua in eis et de eis futura præscivit et prædestinavit: in malis vero et impiis non prædestinavit omnipotens Deus malitiam et impietatem, id est, ut mali et impii essent et aliud esse non possent. Sed quos præscivit et prævidit malos atque impios futuros proprio vitio, ipse

eos prædestinavit ad æternam damnationem justo judicio; non quia aliud esse non potuerunt, sed quia aliud esse noluerunt. Ipsi igitur sibi et ipsis exstiterunt causa perditionis. Deus autem iudex justus et ordinator justus ipsius damnationis. Non enim prædestinavit injusta, sed justa. Prædestinavit tamen et coronas justis, et pœnas injustis, quia utrumque est justum. Quam justitiam ejus commendans nobis Apostolus ait: *Nunquid iniquus Deus, qui infert iram? Absit (Rom. iii, 5)*. Et quia modo omnibus prærogat patientiam ut convertantur ad pœnitentiam; et qui pereunt suo contemptu et duritia pereunt, quia tantam bonitatem Dei contempserunt, iterum alio loco dicit: *An divitiarum bonitatis et patientiæ et longanimitatis ejus contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (Tom. ii, 4)*. Hinc etiam alia Scriptura testatur dicens: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Impii autem manibus et verbis accersierunt illam, et æstimantes amicam, defluerunt, et sponsiones posuerunt ad illum, quoniam digni sunt qui sint ex parte illius (Sap. i, 13)*. Non ergo omnipotens Deus ulli hominum causa mortis vel perditionis existit, sed ipsam mortem et perditionem manibus et verbis ipsi impii sibi accersunt, dum nequiter operando, et nequius aliis persuadendo, et sibi et illis damnationem adducunt; dum viam iniquitatis et perditionis amantes, a recto itinere deflectuntur, et ad perpetuam damnationem, tanquam datis inter se dextris, pari consensu nequitiae, quasi ex voto et sponsione festinant, fœderati mortis, et vitæ æternæ inimici, ipsi secundum duritiam suam et cor impœnitens, thesaurizant sibi iram in die iræ. In qua die justi judicii Dei quia unusquisque secundum opera sua recipit, nemo ex Dei præjudicio, sed ex merito propriæ iniquitatis condemnatur. Non enim ille aliquem prædestinavit ut malus esset, sed vere omnem malum prædestinavit ut impunitus non esset; quia et unaquæque lex justa crimen non habet, ne sit injusta, et tamen criminosa punit ut vere sit justa. Qui ergo dicit quod hi qui pereunt, prædestinati sunt ad perditionem, et ideo aliter evenire non potest; similiter quoque et de justis, tanquam et ipsi ideo salvantur, quia prædestinati ad salutem aliud esse non potuerunt. Qui ergo hæc tam confuse et insulse dicit, et illis tollit meritum damnationis et istis meritum salutis; ac per hoc quid aliud agit, nisi ut et pereuntibus secundum illum sit imposita necessitas perditionis, et his qui salvantur sit imposita necessitas salutis? atque ideo nec illi juste damnantur, quia justis esse non potuerunt; nec isti juste remunerentur, quia aliud quam justis esse nequiverunt, ut in utraque parte et perditio et salus non sit ex judicio propriæ actionis, sed ex præjudicio divinæ præordinationis. Et ubi erit illud, *qui reddet unicuique secundum opera sua? (Rom. ii, 4)* et iterum: *Nunquid iniquus Deus qui infert iram? Absit (Rom. iii, 5)*. Aperte namque causa perditionis illorum qui pereunt in Deum refertur, si ipse eos ita ad interitum prædestinavit, ut aliud esse non possent: quod sentire vel dicere horribilis blasphemia est. Sed Ecclesiæ catholicæ fides, cujus filii et sectatores esse debemus, ita nobis firmissime tenendum insinuat ut superius juxta Scripturam sanctæ auctoritatem breviter designavimus; videlicet, omnipotentem Deum in malis ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex illo non est: pœnam vero eorum et præscisse quia Deus est, et prædestinasse quia justus est, ut et in illis sit meritum suæ damnationis, et in illo potestas et judicium justæ damnantis. Non enim prædestinat Deus, nisi quæ ipse facturus est; præscit vero multa quæ ipse facturus non est, sicut omnia mala, quæ mala utique mali faciunt, non ille. Ipsos quoque malos non ideo perire

quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, et suo vitio vasa iræ apta in interitum perseveraverunt, et in massa damnationis vel originali vel actuali merito permanserunt. In bonis autem omnipotens Deus, sicut supra satis ostensum est, utrumque præscivit et prædestinavit, ut et in præsentia vita per suam gratiam existerent boni, et in futura etiam beati. Utriusque enim boni eorum, id est et præsentis et futuri, ipse est auctor et ipse largitor, et idcirco sine dubio utriusque præcognitor et prædestinator: quia et ipsi ex seipsis non solum aliud esse potuerunt, sed etiam aliud fuerunt antequam per eum qui justificat impium ex impiis justifficerentur. Sive autem in illis qui salvantur, sive in illis qui pereunt, voluntas propria remuneratur, voluntas propria damnatur. Sed in illis, quia per gratiam Domini Salvatoris est sanata, ut ex mala et prava fieret bona et recta, est procul dubio dignissime coronata: in istis autem, quia non acquiescit per Salvatorem recipere sanitatem, justissime per eundem judicem sentiet perpetuam damnationem. Et hoc est breviter totum quod de libero arbitrio juxta veritatem fidei catholicæ est tenendum. Quod scilicet omnem hominem liberi arbitrii condiderit Deus. Sed quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt, ita istud liberum arbitrium in universo humano genere illius prævaricationis merito vitiatum et corruptum, ita obcæcatum est et infirmatum, ut sufficiat homini ad male agendum, id est ad ruinam iniquitatis, et ad hoc solum possit esse liberum: ad bene vero agendum, id est ad exercitium virtutis et fructum boni operis, nullo modo assurgat et convalescat, nisi per fidem unius mediatoris Dei et hominum hominis Christi Jesu, et donum Spiritus sancti, instauretur, illuminetur atque sanetur, sicut ipse Salvator in Evangelio promittit, dicens: *Si vos Filius liberavit, tunc vere liberi eritis* (Joan. viii, 36); et Apostolus ait: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas* (II Cor. iii, 17); ut per hanc gratiam Christi et Spiritus Christi, humanum liberum arbitrium liberatum, illuminatum atque sanatum, dicat gratulans illud Psalmistæ: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* (Psal. xxvi, 1.) Qui igitur hanc gratiam libertatis accipere desiderat, ut ad bene et pie vivendum voraciter liber fiat, non de suis viribus præsumat, sed ille se fideliter sanandum corroborandumque committat, de quo idem Psalmista dicit: *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet* (Psal. xxxvi, 23). Illum oret atque illi supplicet, dicens: *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia* (Psal. cxviii, 133); et iterum: *Domine, deduc me in via tua, et ingrediar in veritate tua* (Psal. v, 9), et cætera similia. Hæc vobis breviter rescripsi ad ea quæ jussistis: nunc fideliter deprecor et exhortor ut, in simplicitate et sinceritate veræ fidei fundati, claudatis aures vestras adversus linguam nequam illius vanissimi et miserrimi hominis, qui cum sit paratus ad contentionem et contumax adversus veritatem, maluit se, infelix, diabolico inflatus spiritu, a Christi Ecclesia et sacerdotibus separare, quam sua profana et inaniloquia deserere.

Explicit Hincari archiepiscopi Rhemensis, ad omnes pene tunc temporis episcopos, tam Galliæ quam aliarum provinciarum, suppresso nomine, contra Gothescalum, tunc temporis ab ipso Hincario in Altovillari monasterio retrusum, qui in Orbacensi monasterio prius monachus fuerat.

Hæc capitula, in synodo Tullensis territorii primo relecta, et a quibusdam fratribus refutata, sequenti autem opere Catholicorum doctrina sunt plenius confutata. Capitulum autem quarti et quinti ab

aliorum perversitate diversitas, in subsequenti opusculo consequenter est vicesimo secundo et tricesimo quinto capitulis explanata.

I. Deum præscisse æternaliter et bona quæ boni erant facturi, et mala quæ mali sunt gesturi, quia vocem Scripturæ dicentis habemus: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant* (Dan. xiii, 42), fideliter tenemus; et placet tenere, bonos præscisse omnino per gratiam suam bonos futuros, et per eandem gratiam æterna præmia accepturos; malos vero præscisse per propriam malitiam malos futuros, et per suam justitiam æterna ultione damnandos, ut secundum Psalmistam, *Quia potestas Dei est, et Domini misericordia* (Psal. lxi, 12, 13), reddat unicuique secundum opera sua; et sicut apostolica doctrina se habet: *His quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quærentibus vitam æternam: his autem qui ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum* (Rom. i, 7). In eodem sensu idem alibi: *In revelatione, inquit, Domini nostri de cælo, cum angelis virtutis ejus, in igne flummæ dantis vindictam his qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Dei nostri, qui penas dabunt in interitu æternas, cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt* (II Thess. i, 7). Nec prorsus ulli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non posset, sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicuti Deus qui novit omnia antequam fiant, præscivit ex sua omnipotenti et incommutabili majestate. Nec ex præjudicio ejus aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari, nec ipsos malos ideo perire quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.

II. Sed et de prædestinatione Dei placuit et fideliter placet; juxta auctoritatem apostolicam, quæ dicit: *Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam* (Rom. ix, 21)? ubi et statim subjungit: *Quod si volens Deus ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata sive præparata in interitum, ut ostenderet divitias gratiæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam* (ibid., 22, 23)? fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, et prædestinationem impiorum ad mortem. In electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere justum Dei judicium. Prædestinatione autem Deum tantum statuuisse quæ vel ipse gratuita misericordia vel justo judicio facturus erat, secundum Scripturam dicentem: *Qui fecit quæ futura sunt*; in malis vero ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex illo non est: pœnam sanæ malum meritum exsequentem, uti Deum qui omnia prospicit, præscivisse et prædestinasse, quia justus est; apud quem est, ut sanctus Augustinus ait, de omnibus omnino rebus tam fixa sententia quam certa præscienti. Ad hoc siquidem facit Sapientis dictum: *Parata sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus* (Prov. xix, 29). De hac immobilitate præscientiæ et prædestinationis Dei, per quam apud eum futura jam facta sunt, etiam apud Ecclesiam bene intelligitur dictum: *Cognovi quod omnia opera quæ feci Deus perseverent in perpetuum: non possumus his addere nec auferre quæ fecit Deus ut timeatur* (Eccl. iii, 14). Verum aliquos ad malum prædestinatos esse divina potestate, videlicet ut quasi aliud esse non possint, non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum mali credere velint, cum omni detesta-

tione, sicut Arausica synodus, illis anathema dicimus.

III. Item de redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem qui de hac causa exortus est, ista ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis qui a mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui æterna damnatione puniti sunt, effusum eum disliniant, contra illud propheticum: *Ero mors tua, o mors; ero morsus tuus, inferne* (Ose. xiii, 14, illud nobis simpliciter et fideliter tenendum ac docendum placet, juxta evangelicam et apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium tenemus, de quibus ipse Dominus noster dicit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exalturi oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam* (Joan. iii, 14); et Apostolus: *Christus, inquit, semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* (Hebr. ix, 28). Porro capitula numero novemdecim syllogismis ineptissime et mendacissime a quodam Scoto conclusa, ubi non argumentum fidei, sed potius commentum perfidiæ, paret nulla omnino philosophiæ arte, ut arroganter a quibusdam jactatur, eonstructum, sed inani fallacia et deceptione imperitissime confusum, a pio auditu fidelium penitus explodimus: et ut talia et similia caveantur per omnia, auctoritate Spiritus sancti interdiciamus; novarum etiam rerum introductores, ne districtius feriantur, castigandos esse censemus.

IV. Item firmissime tenendum credimus quod omnis multitudo fidelium ex aqua et Spiritu sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, et juxta doctrinam apostolicam in morte Christi baptizata, in ejus sanguine sit a peccatis suis abluta, quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret et vera redemptio, cum in Ecclesiæ sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum, et ipsa sui veritate ac sinceritate subnixum. Ex ipsa tamen multitudine fidelium et redemptorum alios salvari æterna salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Matth. x, 22); alios qui noluerunt permanere in salute fidei, quam in initio acceperunt, redemptionisque gratiam potius irritam facere prava doctrina vel vita quam servare elegerunt, ad plenitudinem salutis, et ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire. In utroque siquidem doctrinam pii doctoris habemus: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus* (Rom. vi, 3); et: *Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis* (Gal. iii, 27); et iterum: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem* (Hebr. x, 22); et iterum: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* (Ibid., 28.)

V. Item de gratia per quam salvantur credentes, et sine qua rationalis creatura nunquam beate vixit, et de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini Jesu fidelibus ejus redintegrato et sanato, id ipsum constantissime et fide plena fatemur, quod sanctissimi Patres auctoritate sacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt, quod Africana, quod Arausica synodus professæ est, quod beatissimi pontifices apostolicæ sedis catholica fide tenuerunt; sed et de natura et gratiâ in aliam partem nullo modo declinare præsumentes. Ineptas autem quæstiunculas et aniles pene labellas, Scotorumque pultes puritati fidei nauseam

A inferentes, quæ periculosissimis et gravissimis temporibus ad cumulum laborum nostrorum usque ad scissionem charitatis miserabiliter et lacrymabiliter succreverunt, ne mentes Christianæ inde corrumpantur, et excidant a simplicitate et castitate fidei, quæ est in Christo Jesu, penitus respuimus, et ut fraterna charitas cavendo a talibus auditum castiget Domini Christi amore monemus. Recordetur fraternitas malis mundi gravissimis se urgeri, messe nimia iniquorum, et paleis levium hominum se durissime suffocari; hæc vincere ferveat, et corrigere laboret, et superfluis cætum pie dolentium et gementium non oneret: sed potius certa et vera fide, quod a sanctis Patribus de his et similibus sufficienter prosecutum est, amplectatur.

*Sanctorum Patrum de gratia et libero arbitrio sententiæ.*

1. In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse, et neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexit.

2. Quod nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio.

3. Quod omnia studia et omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint, quia nemo aliunde ei placeat nisi ex eo quod ipse donaverit.

4. Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.

5. Omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profite-mur auctorem, et non dubitamus ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem sit ut aliquid boni et velle incipiamus et facere. Quo utique auxilio et misericordia Dei non auferetur liberum arbitrium, sed liberatur, et de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, et pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis ut quod vult et velimus et agamus.

6. Fatemur gratiam Dei et adjutorium etiam ad singulos actus dari, eamque non dari secundum merita nostra, ut vera sit gratia, id est, gratis data per ejus misericordiam qui dixit: *Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors fuero* (Rom. ix, 15.)

7. Fatemur esse liberum arbitrium, etiamsi divino indiget adjutorio.

8. Arbitrium voluntatis, in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari.

9. Arbitrium voluntatis tunc est vere liberum cum vitiiis peccatisque non servit. Tale datum est a Deo utique homini primo, quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potuit reddi; unde Veritas dicit: *Si vos Filius liberavit, vere liberi eritis* (Joan. viii, 36).

VI. Et quia indiscussi et inexaminati, scientiæque litterarum pene ignari, minusque apostolicæ præceptioni appropinquantes, peccatis nostris agentibus, per civitates episcopi ordinantur, qua occasione maxime vigor ecclesiasticus deperit, placuit ut si quando alicujus civitatis episcopus vocatione Domini decesserit, a gloriosissimis principibus supplicando postuletur ut canonicam electionem clero et populo ipsius civitatis permittere dignentur, atque ita aut in clero, aut in populo, aut diœcesi certe ipsa, si opus sit in vicinia ipsius, probata et officio digna persona quærat, quæ inventa consensu totius cleri et populi ad honorem civitati præficiatur. Sed et si a servitio piorum principum nostrorum aliquis clericorum venerit, ut alicui civitati præpo-

natur episcopus, timore casto sollicite examinatur primum cujus vitæ sit, deinde cujus scientiæ. Et vigore ecclesiastico sub oculis omnipotentis Dei agat metropolitanus in hac parte, cæteris episcopis sicut Dei ministris adjuterium ferentibus, ne maculatæ vitæ et pompa sæculi turgidus, et simoniaca hæresi pollutus, humilibus et mundis membris Christi Ecclesiæque superponatur episcopus, nec præsumat illiteratum et cupiditate illicita cæcatum, redditurus facti sui Deo rationem, populo præficere. Si vero necessarium isdem metropolitanus viderit, ne tantum malum cogatur agere, ut indebito honorem bonis tantum debitum tradat, instruat populum, informet Ecclesiam, potius adire clementiam regum, et ipse cum cæpiscopis suis quibus valuerit modis adeat, ut Ecclesiam Dei gloriosi reges digno honorent ministro. Si autem turpiter cupiditate quacunque metropolitanus victus, aut aliquo munere deceptus, tantum opus negligenter et ægre fuerit executus, judicium omnia cornentis Dei se incurere non dubitet, sed et sententia ecclesiastica noverit se culpandum.

Ut hi qui ordinandi sunt, secundum ordinem ecclesiasticum et institutionem sanctorum Patrum ordinentur, videlicet judicio metropolitanorum et eorum episcoporum qui circumcirca sunt, provehantur ad ecclesiasticam potestatem, ex excerptis Martini: Non liceat electionem facere eorum qui ad sacerdotium provocantur, sed judicium sit episcoporum, ut ipsi eum qui ordinandus est probent si in sermone et in fide et in episcopali vita edoctus est.

Item quo judicio feriendi sint qui in ordinandis episcopis sanctorum Patrum statuta neglexerint, ex decretis papæ Leonis: Si qui episcopi talem consecraverint sacerdotem qualem esse non liceat, etiamsi aliquo modo damnus proprii honoris evaserint, ordinationis tamen jus alterius non habebunt, nec unquam ei sacramento intererunt, quod neglecto Dei judicio immerito præstiterunt.

*Hæc autem quatuor capitula sequuntur, apud Carisiam contra Prædestinatianos constituta, et post lectionem præcedentium in præfata synodo relecta, in subsequenti etiam opere Scripturarum atque orthodoxorum sunt testimoniis confirmata.*

I. Deus omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, et in paradiso posuit, quem in sanctitate justitiæ permanere voluit. Homo, libero arbitrio male utens, peccavit et cecidit, et factus est massa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus et justus elegit ex eadem massa perditionis, secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam, et vitam illis prædestinavit æternam. Cæteros autem, quos justitiæ judicio in massa perditionis reliquit, perituros præscivit, sed non ut perirent prædestinavit; pœnam autem illis, quia justus est, prædestinavit æternam. Ac per hoc unam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ aut ad retributionem justitiæ.

II. Libertatem arbitrii in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus; et habemus liberum arbitrium ad bonum præventum et adjutum gratia, et habemus liberum arbitrium ad malum desertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, et gratia de corrupto sanatum.

III. Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum; quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.

IV. Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur. Quia vero omnes passionis ejus mysterio non redimuntur, non respicit ad ma-

gnitudinem et pretii copiositatem, sed ad infidelium, et ad non credentium ea fide quæ per dilectionem operatur, respicit partem: quia poculum humanæ salutis, quod confectum est infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.

*Sequitur epistola Prudentii Tricassinæ civitatis episcopi, quæ in processu operis sequentis sæpe commemoratur, et a catholicorum fide atque doctrina discordare monstratur.*

Patri venerabili et cæteris partribus fratribusque sincerissime diligendis, atque cœpiscopis reverendis, Prudentius æternam in Domino salutem. Quantum ad meritum peccatorum meorum spectat, justissimo Dei judicio, quantum vero ad indebitas atque indeficientes ejus misericordias pertinere dignoscitur, misericordissimo ipsius munere, infirmitatibus pene omnibus notis depressus, sancto desiderabilique vestro conventui adesse prohibeor. Quod autem possum, præsentibus litteris, atque legato nostræ Ecclesiæ presbytero Arnaldo, mei consensus præsentiam cotenus exhibeo, ut is qui ordinandus est, si apostolicæ sedis omnibus institutis, et beatorum patrum Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Sixti, Leonis, Gelasii, Cælestinii, Gregorii, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Isidori, Primasii, Fulgentii, Hieronymi, Cassiodori, Bedæ aliorumque adæque catholicorum atque orthodoxorum virorum scriptis et dictis, ac specialiter super quatuor capitulis, quibus omnis Ecclesia catholica adversus Pelagium ejusque hærescos sequaces pugnavit ac vicit, atque ad posterorum memoriam litteris auctoritate et veritate plenissimis mandavit, confitendo subscribere, et subscribendo confiteri voluerit, ejus me ordinationi consentaneum esse profitear: sin alias, prorsus neque assentior, neque fidelibus Christi assentiendum suadeo. Capitulum vero quatuor præmissorum seriem, quamvis vestram prudentiam multo vivacius quam meam extremitatem compertam esse non dubitem, necessario tamen breviter adnectendam judicavi, ut facilius quid sentiam, cui veritati consecratam, vestra beatitas recognoscat: videlicet ut liberum arbitrium, in Adam merito inobedientiæ amissum, ita nobis per Dominum nostrum Jesum Christum redditum atque liberatum confiteatur, interim in spe, postmodum autem in re, sicut dicit Apostolus: *Spe enim salvi facti sumus (Rom. viii, 24)*, ut tamen semper ad omne opus bonum Dei omnipotentis gratia indigeamus, sive cogitandum, sive inchoandum, operandum ac perseveranter consummandum, et sine ipsa nihil boni nos posse ullatenus aut cogitare, aut velle, aut operari sciamus. Secundo, ut Dei omnipotentis altissimo secretoque consilio credat atque fateatur quosdam Dei gratuita misericordia ante omnia sæcula prædestinatos ad vitam, quosdam imperscrutabili justitia prædestinatos ad pœnam, ut id videlicet, sive in salvandis, sive in damnandis prædestinaverit, quod se præscierat esse judicando facturum, dicente propheta: *Qui fecit quæ futura sunt*. Tertio, ut credat et confiteatur cum omnibus catholicis, sanguinem Domini nostri Jesu Christi pro omnibus hominibus ex toto mundo in eum credentibus fustum; non autem pro illis qui nunquam in eum crediderunt, nec hodieque credunt, nunquam nec credituri sunt, dicente ipso Domino: *Venit enim filius hominis non ministrari, sed ministrare, et dare animam suam in redemptionem pro multis (Matth. xxi, 28)*. Quarto ut credat atque confiteatur, Deum omnipotentem omnes quoscunque vult salvare, et neminem posse salvari ullatenus, nisi quem ipse salvaverit; omnes autem salvari quoscunque ipse salvare voluerit: ac per hoc quicumque non salvantur, penitus non esse voluntatis illius ut salventur, dicente Propheta: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit, in cælo et in terra, in mari et in omnibus abyssi (Psal. cxxxiv, 6)*. Et licet quædam sint alia, quibus

in Pelagio damnatis universaliter Ecclesia consenserit, sategerit atque subscripserit, hæc tamen specialius adversus eum ejusque complices, per apostolicam sedem, instantia beatissimi Aurelii Carthaginensis episcopi, atque Augustini, cum aliis trecentis quatuordecim episcopis, ab ejus pravissimis sensibus eruta, vindicata, et multis tam epistolis quam libris toto orbe vulgatis, omnis hodieque gaudet, confitetur, prædicat, et tenet, atque tenebit Ecclesia. His per omnia consentaneam, prædicabilem paternitatem fraternitatemque vestram gratia superna invictam atque prævalidam, et suo munere gaudentem perpetim conservare dignetur.

Cæterum multiplices ac tortuosas et venenatas sententias Gothescalci, cujus debita cum execra-

tionem sequenti opere sæpius facimus mentionem, sed et complicitum ejus agones pestiferos hic præponere non necessarium duximus, quia licet pestilens eorum doctrina ex aliquantulis se in diversa scindat itinera, de prædestinatione tamen reproborum ad interitum, et quod Deus non omnes homines vult salvos fieri, sed eos tantummodo qui salvantur, et quia non pro omnibus passus sit, unde opusculum subsequens catholicorum doctrinam sufficienter ostendit, conspirare noscuntur, et contra eos jam singillatim in aliis libellis ante hos actis, prout Dominus dedit, laborem impendimus, sicut ei cui libuerit vel licuerit patere valebit.

## HINC MARI

ARCHIEPISCOPI RHEMENTIS

### DE PRÆDESTINATIONE DEI ET LIBERO ARBITRIO

POSTERIOR DISSERTATIO

*Adversus GOTHESCALCUM et cæteros Prædestinatianos.*

#### ¶ EPISTOLA AD REGEM.

DOMINO CAROLO regi glorioso HINC MARUS, nomine non merito Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus, una cum collegis dominis et fratribus meis venerandis episcopis, oratoribus scilicet salutis atque prosperitatis vestræ devotis.

Nuper elapso mense Junio, per Indictionem septimam, anno Incarnationis Dominicæ 859, dedistis nobis quædam capitula, sicut nostræ dixistis humilitati, a Remigio reverentissimo Lugdunensium archiepiscopo vestræ porrecta sublimitati, jubentes ut tempore congruo de his vobis redderemus responsum, si unanimes uno ore eorundem capitulorum sensui concordaremus: an quia vobis a cana Patrum fide in quibusdam dissentire videbantur, noster sensus, quem a catholico tramite non deviare credebatis, ab eis in aliquo dissideret, sequentes et præcepti Domini jussionem, et Christianam prædecessorum vestrorum consuetudinem. Est enim et divinis legibus cautum, et prisco anteriorum principum more suetum, ut quotiescunque in catholica fide vel divina religione quiddam novi emerit, a principali sententia episcoporum consultui referatur, et quod eorum judicio, Scripturarum sanctarum auctoritate, et orthodoxorum magistrorum doctrina, atque secundum auctoritatem canonicam, et decreta pontificum Romanorum, Christi Dei nostri vicarii et sanctæ Ecclesiæ præsules credendum, sequendum, et tenendum, atque prædicandum decreverint, id ad omnibus corde credatur ad justitiam, ore confiteatur ad salutem, sequatur ad vocationem, teneatur ad coronam, prædicetur ad lucrum. Quæ siquidem capitula in conventu episcoporum habito in territorio Tul-

B lensi, in villa quæ dicitur Saponarias, ante biduum quam vobis porrecta fuerint, sunt recitata, profere et deponente ea synodo domno Remigio Lugdunensium archiepiscopo: quæ sicut dixit, et in epigrammate eorundem capitulorum continetur, in hoc ipso anno, in Kalendis nihilominus ibidem descriptis, et in suburbio Lingonicæ urbis ad instructionem Domini populi ipse et sibi comprovinciales Episcopi ediderunt. Et in crastina alia quædam capitula, de quibus post locuturi sumus, relecta fuere: super quibus, sicut quibusdam ex fratribus visum est quorundam sensus est motus. Nam ut vere, et nos fateamur, nostræ conscientie super pridem capitulis, quæ ut diximus Remigius archiepiscopus synodo præsentaverat, recitatis, catholicorum ad memoriam reducentes doctorum traditiones, non modice se concusserunt. Unde nostrorum quidam fidei Christianæ zelo succensi aliqua synodo voluere suggerere: sed motus nostri ab eodem venerabili archiepiscopo Remigio Lugdunensium sunt modeste compositi: eo venerabiliter perorante, ut si quorumcunque nostrorum sensus ab eisdem prolatis capitulis in aliquo dissentiendo se commoveret, ad proxime futuram synodum catholicorum libros doctorum quique deferre curemus, et sicut melius secundum catholicam et apostolicam doctrinam in commune invenimus, de cætero omnes unanimiter teneamus. In cujus devotione, coepiscoporumque ipsius diæcescos, quorum etiam et ante ordinationem mentem catholicam atque doctrinam, sicut et vos non latet, cognovimus, quantum sensui pusillitatis nostræ fidem accommodare audemus, percepimus quia non ex ipsis, ut non dicamus per ipsos, synodo capitula ipsa